illa prophetas et apostolos elegit. sic utriusque populi. iudaici uidelicet et gentilis uocatio. aptissime designata est. Alti
tudines uero montium potestates seculi uocat. quas ipsius dicit esse quia inferius sunt potestate et moderatione. nec
amplius contra nos seuire possunt. quam ille permiserit. Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud. et s. m. e. f.
Ostendit iuxta litteram omnia a deo facta. et eius iussioni parere. Opus enim omne. in potestate est operatoris.
Altiore sensu mare nationes sunt. que in salo huius seculi diuersis demonum flatibus exagitantur. Sicca uero
id est terra corda sunt terrenorum hominum. sterilia per se et ad ferendos bonorum operum fructus arida. nisi spiritus sancti
gratia compluantur. Quid ergo timemus ne contra nos seuiat mare huius seculi. cum sit in dei potestate. et ipse fecerit
illud. itaque pre omnibus iubilemus ei. Uenite adoremus eum et procidamus. et p. c. d. q. f. n. Audistis dei laudi
bus et cognita eius potentia. nolite pigri esse. et in longum tempus confessionem differre. Uenite nunc. adore
mus genua flectentes ceruicem curuantes. procidamus totam molem corporis prosternentes. additur et ploremus
ante dominum qui fecit nos. Magna siquidem fiducia est ante illum plorare qui nos cum non essemus fecit. et cum per
diti essemus sua pietate refecit. Et nos populus pascue eius. et oues manus eius. Ipsi sunt populi qui et oues.
Populi. per rationem et intellectum. Oues uero per simplicitatem. Hodie si uocem eius audieritis. Ille qui fecit mundum
et dominus noster est. Ipse hodie christus est. id est semper. Hic ergo iugiter audiendus est. Dicit enim apostolus. ihesus christus heri et hodie
ipse et in secula. Et alibi. Adhortamini inquit uos inuicem per singulos dies. donec hodie cognominatur. Confun
dantur itaque heretici. qui dicunt non semper fuisse christum. sed initium habuisse ex uirgine matre. Nolite ob
durare corda uestra. s. d. t. i. d. Hactenus locutus est propheta. nunc ipse dominus et saluator alloquitur iudeos. ne pa
rentum suorum duritiam imitentur. Patres enim malos dicit et incredulos quorum erant filii per imitationem.
Sicut in irritatione. s. d. t. i. d. Nota est historia quando filii israel murmurauerunt contra dominum et moysen. di
centes. deest panis. non sunt aque. anima nostra iam nauseat super cibum istum leuissimum. Sic enim irritabant
mansuetudinem dei ad iram. quasi uolentes probare deum dicentes. est ne deus in nobis an non. Sed illis temptan
tibus diuina uirtus clarior apparebat. Manna enim fluebat ex aere. aque manabant ex lapide. Addi
tur. uiderunt opera mea id est carnalibus oculis intuiti sunt que interioris lumine conspicere noluerunt.
quia rebelles et increduli permanserunt. Quadraginta annis g. i. et d. s. e. c. Legitur etiam infensus
fui. quia prauis suis moribus eum prouocabant ad iram. Alia translatio habet proximus fui. id est presentem me et
uicinum ostendi signis et uirtutibus non paruo tempore. sed per spatium quadraginta annorum. Quadrage
narius autem numerus. omne tempus uite presentis designat. Denarius enim quater multiplicatus. in qua
dragenarium surgit. Nam quia quattuor sunt anni tempora. Denarius uero perfectionem significat. hec
duo sibimet multiplicando iuncta plenitudinem temporis ostendunt. Ergo per illos quadraginta annos
quibus illa generatio deo infensa fuit. designatur omne huius seculi tempus in quo impii homines et si non prauis uo
cibus. prauis tamen moribus dominum exacerbare non desinunt. Et isti non cognouerunt uias meas quia per bene
ficia que per quadraginta annos illis exhibui. preceptis meis adquiescere noluerunt. Cognoscere enim est
credere et oboedire illi. Ideoque maior illis imminet ruina. in quibus semper augetur superbia. Ut iuraui in
ira mea. s. i. i. r. m. Iurare dei est immobiliter aliquid disponere. Duobus autem modis deus iurare dicitur. Iurat enim
placidus et iratus. et illud. Semel iuraui in sancto meo. et iurauit dominus et non penitebit eum. Iurat et iratus cum
peccantibus uindictam minatur. Quid uero iurauerit. ostendit subdens. si introibunt in requiem meam. Requies
dei est tempus illud quando sancti post agones uite huius eterna in celis requie perfruentur. Ait ergo. Si introibunt. id est
non introibunt. iuxta illud. si reddidi. id est non reddidi retribuentibus mihi mala. Nemo ergo dicat. uerum est quod pro
mittit deus. falsum est quod minatur. Ecce deus comminationes suas iuramento firmauit. et si magnum est loqui deum.
multo magis est iurare. Iuste ergo in requiem dei intrare non possunt. qui christum qui est hostium per quod intratur offen
dunt.

Iuxta litteram tempus illud indicat quo templum domini quod a chaldeis destructum fuerat. a zorobabel et
iesu sacerdote magno edificatum est. Spiritalis domus dei est anima fidelis. que per peccatum a statu iustitie

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 199 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/199)